

In obitum
præmaturum, beatum
tamen,
adolescentuli
venustissimi,
adeoque sui...

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden

In obitum Præmaturum, beatum tamen,
Adolescentuli venustissimi, adeoque suis
longè desideratissimi

Andreae Willebrandi,

Pl. Reverendi & Clarissimi VIRI,

M. ANDREÆ VVILLEBRANDI,

Teutonum Ecclesiæ, quæ Dorpati Liv.

Christo colligitur, P. Pastoris Filii Primogeni-
ti, Epicedia.

DORPATI,
Excudit JOHANNES BRENDEKEN,
Acad. Typographus.



1696

831

Vita bonis præstat cunctis, quæcunque sub Axe
Auricomus vultu sol radiante videt.
Si tamen à prima repetatur Origine cursus,
Ut fuerint vitæ Lustra peracta tuæ:
Tristia plura tibi quam læta fuisse videbis,
Et vanum dices, quicquid ubique fuit.
Vix tot litoreas devectat fluctus arenas,
Vita quot innumeras fert miseranda vices.
Vix tot præsentat cœlum sublime figuras,
Quot mala vivendo ferre teneur homo.
Insuper indomitæ sævissima Numina Parcæ
Dira venena vomunt, tela trifulca parant.
Nam quamvis valeas, & adhuc sis integer ævi,
Non tamen à mortis jure solutus eris.
Tam moritur vitulus, quàm bos validusve juvenus,
Et sine lege senes mors puerosque rapit.
Cernimus hic Puerum veteri de stirpe creatum,
Quem stravit diro vulnere Parca ferox.
Quàm subito, ut germen, defectus falce cruentâ,
Concidit & mortis tristia regna subit!
Pectora contundunt PATER & sua dulcia MATER,
Assiduo vigiles imbre rigantque genas.
Syrmata gestando gemitus concorditer edunt
Omnes, in quorum pectore flagrat amor.
Ast modus: immodico consumere tempora Luctu
Quid prodest? vanum est, frustra rigare genas.
Non Lacrimæ facient, WILBRAND, sua cœlica regna
Linquere, & ad nostros inde venire lares.
Mitte PATER Planctum, MATER sepone dolorem!
Filius æternæ sabbatha pacis agit.
Incolit Aulæ cœlestis nunc Splendida tempe,
Gaudia pro Luctu nescia finis habet,
WILBRAND hic Noster cœlesti in sede triumphat
Cœlitibus junctus jubila læta canit.
Custodes recti veræ & Pietatis Alumnos
Tantus honos sequitur, gloria tanta manet.

*Ex condolenti & amico
animo hæc fudit*

Olaus Moberg,
S. Theol. Prof.
Ad

Ad Parentem.

Delicias GNATI rapuit Tibi mors inopina
Nullas; sed simplas vertit in innumeras.
Illum immaturum maturum reddidit Axi:
Tristibus orturis eripuitque malis.
Vivit is æternos, æterno Nectare potus,
Nunc annos; faciem conspicit atque DEi.
Tu curis gravibus relevaris, speque repleris
Certa, quod FAUSTUM conspicias iterum.
Has qui delicias negat, is negat esse PARENTIS,
Delicias GNATI cernere posse sui.

*Hæc pie consolationis
ergo adposuit*

Laurentius Molin,
S. Theol. L. & P. P.

Sonnet.

In wohlgerathnes Kind zur Ruhstatt zu begleiten
Verursacht Herzens-Weh/das Marck und Bein durchdringt
Denn wie der Hoffnungs-Glanz beliebte Freude bringt/
So bricht die Finsterniß der Angst von allen Seiten
Mit Hestigkeit herein/wenn man muß lassen Läuten
Die Trauer-Glocken dem/ des Lob und Ruhm erklingt
Bey Hoch und Niedrigen; Wenn man zu Grabe singt
Den/der in kurzem solt die Ehren-Stuff beschreiten.
So wird kein Kluger denn mit Recht euch dis verheben
Geehrte Eltern/das Ihr euren Sohn beweint/
Den Sohn/der hurtig war/und allen Lastern feint?
Allein gedenckt dabey/das wie Er hat sein Leben
In Tugend zugebracht/Er die Vollkommenheit
Auch eyligst hab' erreicht in jener Ewigkeit.

Aus schuldigem Mitleiden schrieb dieses in Eyl
denen hochberrübren Eltern zum Trost

Michael Dau/
P. P.

Ossa

Ossa sub hoc recubant WILBRANDI frigida busto,
Pallida quem Lachesis sustulit ante diem.
De quo magna quidem sed inanis utriq; parenti
Spes erat, in primo flore resectus abit.
Vita brevis fuerat, sed curta tempora vitæ
Pensavit mentis nobilitate suæ.
Non etenim multos qui secli tranfigit annos
Dicendus proprio vivere jure diu;
Sed qui dum vita fruitur sua rite talenta
Collocat, is pariter vixit in orbe satis.
Veraq; canities etiam virtute paratur,
Quam nequeunt ipsi ferre repente dies.
Ergo licet noster matura falce peremptus,
Non tamen exiguo tempore vixit, erat.
Dilecto nimium moritur cito forte parenti,
Cui desiderii triste reliquit onus.
Egregiis animi donis tamen attigit isto
Tempore, quæ multi non didicere senes.
Et ni tam propere rupissent stamina Parca,
Haud dubie impleisset spem puer iste Patris.
Optima nam teneros lucebant signa per artus,
Vultus & eximiam prætulit ipse facem.
Moribus ac vitæ gratus pietate modestis,
Ingenio præstans, ore venustus erat.
At quamvis caros fallat spes ista parentes,
Sufficit æterno sic placuisse DEO,
Cujus amor patrium longe transcendit amorem,
Scitq; quid expediat quid noceatq; probe.
Hoc sint contenti Pater ac mœstissima Mater,
Gratantes nato gaudia summa suo.

*Ex antiqua & minime fucata
scripsit*

D. Sarcovius,
Phil. Theor. Prof.